



Universitätsbibliothek Paderborn

Agenda, Sev Ritvale Osnabrvgense

Franz Wilhelm <Osnabrück, Bischof>

Coloniæ Agrippinæ

Benedictio imaginum Iesu Christi Domini nostri, B. V. Mariæ, & aliorum
Sanctorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41233

Alia Oratio ad idem.

Benedic † Domine hanc Crucem tuam ,
per quam eripuisti mundum à dæmonum
potestate, & superasti passione tua suggesto-
rem peccati, qui gaudebat in prævaricatione
primi hominis per ligni vetiti sumptionem.
Hic aspergat aquâ benedictâ. Sanctificetur hoc
signum Crucis , in nomine Patris † , & Fi-
lli † , & Spiritus † sancti ; ut, orantes incli-
nantesque se propter Dominum ante istam
Crucem , inveniant corporis & animæ sani-
tatem. Per Christum Dominum nostrum.

Resp. Amen.

*Postea Sacerdos , genuflexus ante Crucem , devote
adorat & osculatur ; & idem faciunt quicumque vo-
luerint.*

Benedictio Imaginum I E S V Christi
Domini nostri, Beatæ V. MARIÆ,
& aliorum Sanctorum.

Vers. Adjutorium nostrum in nomine Do-
mini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram. *Vers.*
Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

O Mnipotens sempiterne Deus , qui San-
ctorum tuorum imagines , *sive* effigies,

Fff 3

sculpi

sculpi aut pingi non reprobas , ut , quoties illas oculis corporeis intuemur , toties eorum actus & sanctitatem, ad imitandum, memoriæ oculis meditemur : hanc, quæsumus, imaginem , seu sculpturam , in honorem & memoriam unigeniti Filii tui Domini nostri Iesu Christi , vel Beatissimæ Virginis Mariæ, Matris Domini nostri Iesu Christi , vel Beati N. Apostoli tui , vel Martyris , vel Confessoris, aut Pontificis, aut Virginis, adaptatam, benedicere **+** & sanctificare **+** digneris : & præsta, ut, quicumque coram illa unigenitum Filium tuum , vel Beatissimam Virginem , vel gloriosum Apostolum , sive Martyrem , sive Confessorem , aut Virginem , suppliciter colere & honorare studuerit , illius meritis & obtentu à te gratiam obtineat in futurum. Per eundem Christum Dominum nostrum. *Resp. Amen. Ultimò aspergat aquâ benedictâ.*

Ritus benedicendi & imponendi primarium lapidem pro Ecclesia ædificanda, servandus à Sacerdote, facultatem habente ab Episcopo.

Ecclasiam ex Episcopi autoritate tantum , juxta sacrorum Canonum decreta , ædificari fas est. Si vero Sacerdos, ejus ædificatio-